Zu der

am 29. und 30. August

stattfindenden

öffentlichen Prüfung

der Schüler

des

hiesigen Königlichen Gymnasiums

und der

Vorbereitungsklasse desselben

so wie

zu dem darauf folgenden

Redeact

det ganz ergebenst ein

der interimistische Dirigent

Professor Dr. FR. SCHRŒTER.

Inhalt.

1) Quæstiones Horatianæ. P. III. } Vom Dirigenten.
2) Schulnachrichten. }

Saarbrücken.
Buchdruckerei von A. Hofer.
1864.

I.

DE LIBRI I. CARMINE 1.

HORATIANORUM CARMINUM.

Quum Q. Horatius Flaccus carminum libros tres priores ederet, ad C. Cilninm Maecenatem misit carmine dedicatorio instructos: in quo carmine antiquissimam regiamque Maecenatis prosapiam laudans atavis[1]) editum regibus dixit et praesidium suum, quo tutore atque patrono[2]) utebatur, et dulce decus suum, cujus amicitia decori quum esset bonam illi aliorum existimationem vitæque dignitatem parabat.[3])

Tum varia Horatius hominum studia recenset, quibus quisque pro ingenio et animi affectione et fortuna vitæque statu suo delectari soleat.

1. Eorum autem, qui sua sibi ratione et studio vitam beatam quærant, primos (v. 3—6.) poeta gloriae cupidos refert, qui palma nobilitati Olympiaca[4]) diis pares sibi facti videantur. Qui vel reges sunt vel quos Herodotus[5]) *ἄνδρας τεϑριπποτρόφους* appellat.[6])

2. Versu 7. et 8. honorum potentiaeque studiosi dicuntur, qui favore studioque vulgi tres magistratus ordinarios summos, ædilitatem curulem, præturam, consulatum adipisci nituntur.[7])

3. Versibus 9. et 10. latifundiorum domini referuntur, qui maximarum divitiarum cupidi suis rebus contenti non sunt, nisi totas provincias continuis possessionibus occupaverint, omne frumentum suis in horreis collegerint.[8])

---

[1]) Od. III. 29, 1. Tyrrhena regum progenies. Cf. Sat. I. 6, 1. Propert. III. 7, 1. Livius X. 3, 2. 5, 13. Silius Ital. VII, 29. X. 40. Horatium imitatus est Martialis Epigr. XII. 4, 2. Atavi nomine antiquissimus quisque appellatur. Et quo ordine atavus numeretur, vid. Plautus in Persa I. 2, 5. [2]) Apud Ciceronem de Orat. I. 40, 184. praesidium clientibus porrigens; Virg. Aen. XI. 58. praesidium Ausoniae Pallas; Ovid. Epp. ex Ponto I. 6, 14. „Qui mihi praesidium grande futurus eras", Graecinus; Horat. Epp. I. 7, 37. rexque paterque audit Maecenas. [3]) Hor. Od. II. 17, 4. Maecenas, mearum Grande decus columenque rerum; Virgil. Georg. II. 40. O decus, o famae merito pars maxima nostrae, Maecenas. [4]) Hor. Od. IV. 2, 17. [5]) VI. 35. 70. 125. [6]) Cf. Plato Apol. Socr. 36. D. Pindarus Olymp. I. 1—7. Pyth. II. 1—8. ed. Ahlw. [7]) Livius VI. 7, 3. [8]) Horat. Od. II. 2, 10. III. 16, 26. — Libycis areis Mauritania significatur. Cf. Lucan. Phars. IX. 418. Columella III. 8, 4.

4. A quo (v. 11.) longe diversus est pauper colonus, qui paucis contentus agros a patribus acceptos sua colit manu, nec si opes Attalicæ proponerentur, unquam commoveretur, ut, qui a mari abhorret, quæstuoso nautico ministerio uteretur. Neque nauta tamen hoc loco cum mercatore confundendus est, [1]) ut etiam nuper factum video, sed nauta sive homo navicularius sive nauticus est, sive navis magister, qui si servilis condicionis non est, a mercatore larga mercede conductus [2]) multo meliore vitæ condicione uti videtur, quam qui more veterum patrios findit sarculo agros vel sabellis doctus ligonibus glebas versat. [3]) Neque nauta cum latifundiorum possessore, sed cum paupere ruris colono comparatur [4]) ut latifundiorum dominus cum mercatore. Denique voc. pavidus vel timidus non naturam nautæ significat, sed pavere aut timere ille dicitur, quum vitæ se periculis expositum videt, mari conspecto turgido, aut monstris natantibus, aut scopulis infamibus, [5]) quum mare iratum horret. [6]) Itaque conjectura Hofmani Peerlkampi impavidus a natura loci nostri sententiaque poetae plane abhorret.

5. Similis condicio mercatoris est, qui re delectatur quaestuosissima, sed maximis tamen objecta periculis, quibus circumventus dum est, otium et oppida laudat rura sui. At ubi naves veteres quassasque [7]) refecit, denuo nautas per mare currere jubet, quippe qui paupertatem aeque ferre nolit atque fœnerator Alphius. Is enim illi pauper esse videtur, cui locupletior obstat, cui nihil satis est, „quia tanti, quantum habeas, sis.“ [8]) Qui quum pauperiem vitium ingens opinetur esse, ante omnia quaerendam pecuniam docet esse, virtutem post nummos. [9])

6. Jam ad longe aliud transit Horatius hominum genus eorum, qui voluptarii

---

[1]) Cf. Quæstiones Horat. I. cap. 5 (1847.) Livius XXV. 3, 11. [2]) ut Hor. Od. III. 6, 31. navis Hispanae magister. Cf. Cic. Fam. XVI. 9. Hor. Od. I. 28, 18. Sat. I. 5, 11. 19. 1, 29. [3]) Horat. Od. III. 6, 38. [4]) In his omnia bene secum congruere videntur, nec est, quod cum in versibus 9. et 10. totis, tum in verbis singulis Peerlkampus ejusque æmuli offendantur. Certe mihi horreum hoc loco magis poetice dictum videtur quam plurali numero, et de areis verri breviter dictum omne opus rusticum significat in frumentis excutiendis colligendisque occupatum. Et proprium est horreum, quod sibi quis soli habet, oppositumque communi. Vid. Cic. or. pro Sulla III. 9. Ovid. Met. VI. 349. seq. Proprio igitur in horreo, cujus particeps alius est nemo, frumentum servat suum, gravi annona magnoque pretio venditurus. Qui latifundiorum domini Horat. Od. I. 4, 14. II. 18, 34. reges, Od. IV. 9, 46. beati dicuntur. Et idem plane est, quem Horatius Od. III. 16, 31. fulgentem imperio fertilis Africae dicit. Quæ latifundiorum possessiones a servis aratoribus colebantur. Cf. Martialis Epigr. V. 13, 5. seqq., imprimis Plinius N. H. XVIII. 7, 3., qui sex dominos semissem Africae possedisse tradit, quos interfecerit Nero princeps. [5]) Hor. Od. I. 3, 18. 14, 14. [6]) Epod. II. 6. [7]) Od. IV. 8, 22. Livius XXV. 3, 11. XXX. 39. 3. [8]) Hor. Sat. I. 1, 113. 62. Juvenal. XIV. 274. [9]) Sat. II. 3, 92. Epp. I. 1, 53.

dum sunt rem atque otium suum in corpore bene curando ponunt, dediti vino atque luxuriae et rerum naturae amoenitatibus usi. [1]) Qui dum partem de die solido demere dicuntur, faciunt quod Graeci ἐν τῇ μεσημβρίᾳ ὑποπίνοντες. [2]) Est dies solidus plenus atque integer, nondum qui vergit ad Vesperum, sed ab ortu solis tantum quantum a Vespero abest. [3]) Itaque apud Ovidium Met. VII. 181. Luna, quae solida terras spectavit imagine, plena est luna, ut solidus annus integer annus, cui nihil deest, et solidum stipendium est annuum, [4]) semestri oppositum.

7. Ut Ὀλυμπιονίκης solam sectatur et sine mercede gloriam, sic qui militia juvatur, belli gloria militiaeque praemiis delectatur, et postquam dato signo cornuaque ac tubae concinuere, [5]) medios se immittit in hostis, nec curans matris lacrimas neque vitæ parcens suæ.

8. Venator tenerae conjugis immemor neque gloriam neque honores nec cetera commoda his communia quærit, sed virium robore et dexteritate corporis usus venandi studio tenetur, asperitatibus cœli expositus et a vitæ jucunditate domesticæ remotus. Quemadmodum supra hominem mollem utque voluptarium naturæ bonis aestivæ diximus frui ad titillationem sensibus adhibendam, ita venator hic virtutem quandam privatam ludendo exercens aspero auctumni tempore gaudet commodisque propriis.

9. Denique Horatius quoque habere se dicit, qua re delectetur omnium maxime beatusque sit; lyrica poesi delectari se dicit remotum a vulgo profano, gelidoque receptum nemore [6]) levibus Nympharum Satyrorumque agrestium choris immistum verba socianda chordis meditari, quæ Euterpe inspiret, cantus fidesque moderetur Polyhymnia. Itaque et ipsum naturæ rerum juvari amoenitatibus atque delectamentis, nec tamen ut in homine voluptario hæc corpore tantum sensuque percipi, sed mentem etiam cogitationemque ali significat divinoque spiritu inflammari ad carmina condenda lyrica. Atque inde præter ceteros lyrica se poesi delectari eoque studio beatum haberi. Quæ quidem una et sentire et velle se dicit; sed ut prima stropha dimidia Horatius grato animo professus est debere Mæcenati cum tutelam patrociniumque tum amicitiæ jucundissimæ decora, quibus ornetur, sic ultimæ strophae dimidia parte amici dilectissimi judicio et auctoritate inter lyricos poetas relatus si fuerit, tum demum beatissimum se deorumque similem fore profitetur. Et abjecta Harii conjectura, qui v. 29. pro vulgata Me, quam probe tuetur Bernhar-

---

[1]) Cf. Lucretius II. 29. seqq. V. 1391. seqq. [2]) Xenoph. Hellen. V. 4, 40. VI. 4, 8. [3]) Ovidius A. A. III. 723. Met. XI. 353. J. A. Ernesti Opusc. phil. et crit. p. 25. [4]) Livius I. 19, 6. V. 4, 7. Cf. Serv. ad Veget. de re mil. II. 5. [5]) Tacitus Annal. I. 68. [6]) Hor. Od. I. 5, 3. 32, 1. II. 1, 39. III. 4, 40. 25, 1. seqq. IV. 9, 4.

dius,[1]) Te legit ad Maecenatem relatum, et Augusti Matthiae,[2]) versum 35. extrudentis

Quodsi me lyricis vatibus inseris,

cum stropharum concentus tum contextus verborum integritas a Vettii Agorii temporibus[3]) ad haec usque delati servatur. Omissis Peerlkampi ceterorumque commentis, qui hujus vestigia sequuntur, discipulum me pietas admonet, ut illustre Godofredi Hermanni nomen ne praetereeam, qui versus hujus carminis 1. et 2. et 35. et 36. spurios judicat esse[4]) et indignos Horatii ingenio, nec textui verborum, quem Vettius Agorius Mavortius initio saeculi VI. post Chr. natum constituisse feratur, multum tribuendum dicit, quod haec verba, ut carm. III. 11, 16—20. jam ante Agorium extrinsecus illata videantur. Imprimis Hermannus v. 35. verbisque Quodsi tu me lyr. etc. offenditur quippe parum poetice scriptis, nec simplicitati universi carminis accommodatos esse versus duos priores verborum magnificentia insignes. Itaque ne stropharum concinnitas pereat, et versus duos priores et ultimos duos e carmine exstirpandos censet.

Ne repetam, quae vere et scite in Hermannum Jahnius observavit,[5]) testis mihi citandus est Martialis Vettio Agorio multo locupletior, qui versus illos fictitios non esse plane demonstrat. Qui Epigr. XII. 4, 1. 2. scribit:

Quod Flacco Varioque fuit summoque Maroni
Maecenas, atavis regibus ortus eques.

Haec verba ultima de Horatianis illis expressa esse non facile quisquam negabit. Et notum quidem est, M. Valerium Martialem imperitante C. Caesare Caligula anno u. c. 793. natum, Q. Horatium Flaccum u. c. 746. demortuum esse, ut Martiali, elegantissimi judicii viro, Horatianorum carminum editiones non defuisse videantur, quae vera et integra verba poetae referrent. Denique in versu tricesimo quinto, in quo quasi parum conveniente poetae, nonnulli offenduntur, primum conjunctionem quodsi satis tutatur Odarum libri I. carminis 24. versus 13.

Quod si Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem —

et libri III. carminis 1. versus 41.

Quod si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus —

Cetera quae sunt verba, me lyricis vatibus inseris, cum his componenda mihi videntur, quae leguntur Od. IV. carminis 3. versu 13. ad Melpomenen scripta, cui haec se debere scribit:

---

[1]) Historia literar. lat. pag. 103. Not. 184. [2]) Scripta Miscell. p. 83. [3]) Jo. Chr. Jahnii præf. ed. 3. Carminum Hor. p. VI. [4]) J. C. Jahnii Annal. philol. XXXVI. pag. 338—340. [5]) Quibus adde quæ scripsit Frandsenius in Vita Mæcenatis pag. 140.

Romae principis urbium,
Dignatur suboles inter amabiles
Vatum ponere me choros —

Et recte quidem Mitscherlichius haec adnotat: „dignatur me ponere, modestius quam ponit, inserit me vatum choro, poetis lyricis (ut I. 1, 35.), aequiparat me graecis lyricis: nam chori lyricae poesi proprii. — amabiles, vel perpetuo chori epitheto χορὸς ἱρόεις (Hom. Od. XV. 193.), ἱμερόεις (Il. XV. 603.), χαρίεις (Musae 35.), vel habita sententiae ratione, inter insignes, praecipuos poetas me ponit.“ — Sed amabiles tamen vatum chori illi habendi sunt poetae graeci lyrici, quorum studio tenetur vel delectatur Romana juventus. Me igitur, de quo jam romana juventus judicium fecit suum, cujus carmina digna habet, quae studiose legat, lyricis tu si vatibus inseris, tuo probatus judicio hominis prudentissimi unum me beatissimum habebo, cujus laudes quum per te maximae evaserint, [1]) indelebiles aeternaeque erunt, ut de semet vaticinatur ipse Od. III. 30. Quod carmen eodem anno u. c. 736. scriptum, quo primum libri I., libro carminum III. finem imponit, et spem judiciumque poetae de se ipso declarat, ut alterum illud dedicatorium Maecenatis, amici atque patroni judicium, quo demum impetrato sperare licet fore, ut summa adeptus videatur, ut de Horatio dici possit, quod de Menandro incerti poetae [2]) est:

Ζώεις εἰς αἰῶνα· τὸ δὲ κλέος ἔστ' ἐν Ἀθήναις
ἐκ σέθεν οὐρανίων ἁπτόμενον νεφέων.

Ita finis hujus carminis splendidissimus est, et errant qui verbis sublimi feriam sidera vertice vim majorem inesse negant quam supra v. 30. Dis miscent superis. Qui diis miscetur diis interesse fingitur naturam servans humanam; sed sublimi qui sidera vertice ferit, is natura humana deposita et similis gigantibus factus de terris exsurgens nubes superat, caput cœlo stellisve inserit. Qualem Virgilius [3]) scribit fuisse Famam:

mox sese extollit in auras
Ingrediturque solo et caput inter nubila condit.

Qualis fuisse fertur Orion: [4])

Quam magnus Orion,
Cum pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna viam scindens, humero supereminet undas,
Ingrediturque solo et caput inter nubila condit.

Tantam sibi gloriam fore dicit poeta lætitiamque, quantam futuram dixit Medeae Jasonem adamanti Ovidius: [5])

---

[1]) Virgil. Georg. II. 40. O decus, o famae merito pars maxima nostrae, Maecenas. [2]) Anthol. Gr. IX. 187, 5. [3]) Virg. Aen. IV. 176. [4]) Virg. Aen. X. 763. [5]) Met. VII. 61.

Quumque ego cum rebus, quas totus possidet orbis,
Aesonidem mutasse velim: quo conjuge felix
Et dis cara ferar et sidera vertice tangam.

Aut quæ olim Macedonibus[1]) fuit, qui postea sub imperio Ptolemæi Ceranni a Gallis devicti jacebant: „Nunc Alexandri Philippique regum suorum nomina sicut numinum in auxilium vocabant: sub illis se non solum tutos, verum etiam victores orbis terrarum extitisse: ut tuerentur patriam, quam gloria rerum gestarum coelo proximam reddidissent.“

Itaque Horatius gloriam sibi atque lætitiam fingit futuram, quanta cogitari potest maxima esse. Hinc cum Orellio lectionem vulgatam inseres, auctoritate aliquot codicum desertam inseris legentium, restituendam censeo. Transmissis enim ad Maecenatem libris judicium de se exspectat amici Horatius.

Ut denique in carmine sexto libri secundi ad Septimium scripto futuræ senectutis desideria describuntur, et in ejusdem libri carmine decimo, quod Horatius L. Licinio Murenae dedicavit, communis ille locus de aurea mediocritate tractatur, sed prima atque ultima stropha eum appellat, ad quem scriptum est carmen, sic in hujus carminis et prima stropha dimidiata et extrema Mæcenatem alloquitur Horatius, cetera in communi sententia versantur, quæ de variis hominum studiis et oblectamentis est.

II.

DE CARMINE 29. LIBRI I.

Anno u. c. 730. quo Cæsar Augustus bello confecto Cantabrico et Asturum Romam rediit, Aelius Gallus, præfectus Aegypto, bellum in Arabiam felicem suscepit. Quod bellum quum parari coeptum esset, anno u. c. 729. exeunte Horatius hoc carmen scripsisse vedetur.

Sed divitiis invitatos Arabum[2]) Romanos id bellum commovisse patet, ex quo potiti Aegypto Arabiæ occupandæ et causam idoneam et occasionem adepti videbantur. Quæ Arabum divitiæ cum bonis naturæ pretiosissimis, quæ exportabantur, tum mercium Indicarum portoriis uberrimæ, denique ad id usque tempus indelibatæ erant[3]), quum nullis post hominum memoriam bellis exterorum hostium comminutæ essent.

---

[1]) Justinus XXIV. 5, 11. [2]) Strabo XVI. 4. p. 401. Tauchn. [3]) Qua re beatae dicantur, docet Cicero Tusc. V. 21, 61.

Mercaturam Romani maximam partem permutandis mercibus et suis cum provinciis exercebant. Arabes quæ e mari aut silvis ceperant Romanis Parthisque præsenti pecunia vendebant nec in vicem quidquum redimebant, ut maximæ apud eos Romanorum atque Parthorum opes subsisterent.[1]) Quæ damna sentientes Romani eum quæstorem, cui aquaria provincia obvenerat, prohibere jubebant quo minus aurum argentumque Puteolis exportaretur:[2]) a quo emporio iam liberæ temporibus reipublicæ Romani commercia negotiaque privata cum Alexandrinis ceterisque civitatibus Asiæ maritimis frequentabant. Quae mercatura resque navicularia maxime augebatur, ex quo capta Alexandria non Puteolani modo, sed Neapolitani etiam et Ostienses omnesque coloniae maritimae ejus rei participes sunt factae.[3])

Romani igitur cum Nabataeis jam autea societate atque amicitia conjuncti[4]) Aegypto devicta ut omnibus commerciorum commodis, quae Arabes Indique ferebant, potirentur,[5]) felici tum Arabiae eodemque tempore duce Petronio Aethiopiae bellum inferebant.[6]) Accedebat, quod Arabia devicta Romani quasi *ὁρμητήριον* nacti videbantur, ex quo egressi opulentissima maris Persici emporia Parthis erepta occuparent. Quod satis clare expressit poeta verbis his

— acrem militiam paras
Non ante devictis Sabaeae
  Regibus, horribilique Medo
Nectis catenas?

Quum igitur primum, ut fieri solet, rumoribus, tum certis nuntiis allatum esset, in Arabiam felicem bellum ex Aegypto parari, animi hominum rerum parandarum cupidi mirum quantum agitabantur, sperantium fore ut Arabibus Parthisque devictis omnium rerum copiae totius Orientis ditissimae Romam Italiamque confluerent, ut saeculum tandem aureum rediturum paxque diuturna restitutum iri videretur, quum re vera Romani rerum domini facti essent.

In hac tanta animorum perturbatione nec Iccium desidem remissumque videmus. Qui Iccius, ad quem scripta est Horatii epistola libri primi duodecima, procurator privatos Agrippae reditus in Sicilia colligebat,[7]) homo parum sibi constans; quamquam habebat, quibus contentus bene viveret, majora concupiscens paupertatem probam ferre nolebat, sed decepto illi cupidine falso nihil satis est, „quia tanti, quantum habeas, sis.“[8]) Quum vero epistola libri I. duodecima exacta aestate ab Horatio scripta[9]) videatur, eodemque tempore Iccius curam Agrippae bonorum gereret,

---

[1]) Plinius N. H. VI. 32. extr. [2]) Cic. in Vatin. 5. pro L. Flacco 28. [3]) Casaubonus ad Suet. Aug. 98. Neron. 20. Claud. 20. 25. Goettling, Rœm. Staatsverf. pag. 405. [4]) Strabo l. l. p. 403. [5]) Cf. Hegewisch, Rœmische Finanzen p. 101. [6]) C. Passow, de Q. Hor. Flacci Vita et æt. p. CIX. [7]) De procuratoribus et publicis et privatis vid. Justus Lipsius ad Taciti Annal. lib. XII. Exc. B. [8]) Horat. Sat. I. 1, 61. [9]) Guil. Ernestus Weber de Q. Horatio Flacco pag. 228.

laresque in Sicilia fixisset, dubium non est quin, quo tempore expeditio in Arabiam parabatur, etiam tunc Iccius Romae degeret, dum praecepta Stoicorum secutus vitam beatam una in virtute quaerit. Sed

„Naturam expellas furca, tamen usque recurret.“

Virtutem ore professus Iccius sapientiam simulaverat, qua destitutus ipse cetera una virtute minora negat nomenque inane habet,[1]) dum verba putat ut lucum ligna;[2]) nec dissidens plebi quaerit

„Divitiis homines an sint virtute beati“[3]).

sed indocili pauperium pati „quaerenda pecunia primum est, Virtus post nummos.“[4])

Itaque quum Iccius bellum parari Arabicum audisset, natura ingeniumque hominis quale erat declaratum est. Qui parcus modo paucisque contentus visus fuerat, divitias opesque Arabum vel fama splendidiores non mutandis mercibus victoria parta aut negotiis faciendis degustare, sed miles fortissimus media in certamina illatus indelibatas expilare depraedarique mavult.

Hinc lepida εἰρωνείᾳ usus Horatius hominem avidum allocutus est: Icci, beatis nunc Arabum invides etc. divitiarumque appetentem perstringit, quem meliora olim pollicitum nunc deposito sapientiae studio

coemtos undique nobilis
Libros[5]) Panaeti Socraticam et domum
Mutare loricis Hiberis

subridens fingit. Jamque ditissimis expilatis Arabum gazis et praeda omnis generis opulentissima potitus quum tandem Romam redisset Iccius, domum non modo ornatissimam et omni rerum copia affluentem exstructum ire videbatur, sed Asiatico etiam servitio splendidam.[6]) Quam ob rem Horatius non minore sale atque facetiis usus hominis vanitatem traducit dicens

Quae tibi virginum
Sponso necato barbara serviet?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur unctis,
Doctus sagittas tendere Sericas
Arcu paterno?

Similis pueri „pocillatoris figura perelegans, actu ministrantis poculum manu dextra elata, capillis promissis, et fortasse unctis, veste ornata, observatur in picturis e terra erutis prope Lateranum anno 1780“ his ipsis verbis descripta a Carolo Fea. Sed quaeritur, qui puer ex aula fuerit. Jo. Casp. Orellius regis filium

---

[1]) Hor. Epp. I., 12, 11. 17, 4. [2]) Epp. I. 6, 31. [3]) Sat. II. 6, 74. [4]) Od. I. 1, 18. Epp. I. 1, 53. [5]) Quale fecisse Enthydemus dicitur apud Xenoph. Mem. IV. 2, 1. 8, 9. [6]) Qualis descripta est Dionysii apud Cic. Tusc. V. 21, 61.

fuisse negat, sed puerum regium esse, quem nostri dicant Page. Et talium quidem nobilium puerorum consortium cum apud reges Persarum et Syrorum tum apud Mecedones fuisse certum est. Xenophontis [1]) est: *Πάντες οἱ τῶν ἀρίστων Περσῶν παῖδες ἐν ταῖς βασιλέως θύραις παιδεύονται.* Antiochi apud Polybium V. 82, 13. *τῶν βασιλικῶν τινα γεγονότα παίδων [τοῖς θηρίοις] ἐπιστήσας, Μυΐσκον τοὔνομα.* Quod a Philippo primum institutum Macedone Aelianus [2]) tradit: *Ὅτι Φίλιππος τῶν ἐν Μακεδονίᾳ δοκιμωτάτων τοὺς υἱεῖς παραλαμβάνων, περὶ τὴν ἑαυτοῦ θεραπείαν εἶχεν, οὔτι που, φασίν, ἐνυβρίζων αὐτοῖς, οὐδὲ διευτελίζων, ἀλλ' ἐκ τῶν ἐναντίων, καρτερικοὺς αὐτοὺς ἐκπονῶν, καὶ ἑτοίμους πρὸς τὸ τὰ δέοντα πράττειν ἀποφαίνων.* [3])

Sed hæc tamen Orellii opinio plane mihi refutanda videtur. Primum enim Iccii vanitas et prava divitiarum cupiditas multo acerbius exagitatur, quum sibi poeta hominem ante oculos ponat suis fortunis splendidissime usurum regum divictorum filiis filiabusque ad servitium adhibitis. Deinde reges hic Arabum ceterique conterminarum gentium *ἐθνάρχαι* significantur, quos Iccius sperat victurum se esse. Et puer ex aula re vera filius regis est, quum præter illud institutum regum Macedonum [4]) alioqui a scriptoribus latinis regum filii pueri regii appellentur. Tum aulam vel domum aulicam pro regia scriptam videmus apud Livium XLIV. 43, 4. Curtium VIII. 8, 21. Senecam in Hippol. 981. Capitolinum in vita M. Antonini c. 5. atque præter Horatium Od. II. 10, 7. aliis locis quam plurimis. Denique verba

„Doctus sagittas tendere Sericas Arcu paterno?“

regis sunt filio, non regio pincernæ accommodata. Atque regii pueri Persarum septennes facti venationibus interesse coeperunt. [5])

Ad regios pueros ut redeam, apud Virgilium Aen. I. 677. Julus regiæ stirpis quum esset, regius puer dicitur, Paris apud Ovidium Her. XVI. 90.

„Regius agnoscor per rata signa puer.“

Ganymedes, quem Cicero Tusc. I. 26, 65. a diis raptum dicit propter formam, ut Jovi bibere ministraret, apud Virgilium Aen. V. 252. puer regius appellatur. Et Cicero l. l. aptissime ad hæc observat: „Fingebat hæc Homerus, et humana ad deos referebat.“ Livius XXVII. 19, 8. „Quum Afros venderet jussu imperatoris quaestor, puerum adultum inter eos forma insigni, quum audisset regii generis esse, ad Scipionem misit.“ Qui fuit Massiva, et a materno avo Gala, rege Numidarum, eductus nuper cum equitatu subsidio Carthaginiensibus venerat. XXIX. 29,

---

[1]) Anab. lib. I. c. 9. §. 3. [2]) Var. Hist. XIV. 49. [3]) Ad haec adde, quae Arrianus Anab. IV. 13, 1. de his pueris regiis eorumque singulis officiis et honoribus scripsit et Curtius V. 1, 42. VIII. 6, 2—6. X. 7, 16. Livius VIII. 24, 12. [4]) Livius XLV. 6, 9. [5]) Plato Alcib. I. pag. 121. C.

11. „Mezetulus puerum Lacumacen, qui stirpis regiae supererat, regem appellat." Similiter qui ætatis adultae sunt, apud Livium I. 47, 5. regius juvenis L. Tarquinius, 57, 10. regii juvenes Sex. et Collatinus Tarquinii dicuntur. Ut igitur hic puer ex aula regius est puer vel stirpis regiae, qui bello captus inter servos domesticos vinique minister futurus est Iccio, sic verba Horatii

Quae tibi virginum
Sponso necato barbara serviet?

virgo regia, regis barbari filia est, quae acriter defensa a sponso regio capta tandem ancilla futura Iccii fingitur. Quo cum loco commode conferuntur, quae leguntur apud Horatium Od. III. 2, 6. sqq.

Illum ex mœnibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens et adulta virgo
Suspiret, eheu, ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem —

Est matrona hic tyranni, quae apud Ovidium Met. IX. 259. conjux regia, Heroid. V. 85. matrona potentis, apud Ciceronem Tuscul. V. 20, 58. filiae Dionysii tyranni regiae virgines, Catull. LXIV. 86. Ariadne virgo regia, Ovid. Her. XVII. 193. Minoïa virgo, Virgil. Aen. II. 403. Priameïa virgo Cassandra, Ovid. A. A. I. 697. Deidamia virgo regalis, Met. VII. 21. Medea, XIII. 523. Polyxena, Statii Theb. VII. 246. Jocaste vel regiae vel reginae virgines appellantur. Quae quum bello captae essent, tristissima fortuna usae feruntur vel regis victoris vel belli ducis ancillae factae, ut apud Plautum Truc. II. 6, 50. 11. ancillae adducuntur duae, „quae reginae domi suae fuere ambae: verum patriam ego excidi manu. Iis te dono." [1]) Et quae olim regia conjux Priami fuerat, Hecuba, apud Ovidium Met. XIII. 510 ancilla facta Penelopes pensa fingitur tractura. Apud Virgilium Aen. II. 785. umbra Creusae Aeneam consolatura:

„Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas
Aspiciam, aut Grais servitum matribus ibo,
Dardanis et divae Veneris nurus."

Deinde Horatius Od. III. 27, 62. Europam haec facit de se loquentem:

„age te procellae
Crede veloci, nisi herile mavis
Carpere pensum,
Regius sanguis, dominaeque tradi
Barbarae pellex."

---

[1]) Cf. Horat. Od. II. 4.

Itaque huic Horatiano carmini aptissime convenit, Iccio et regii generis puerum pincernam et regiam virginem ancillam fore.

Denique quam luxuriosi Romani in pocillatoribus Asiaticis fuerint, in emendis servis musicis, quales erant sambucinae, fidicinae, tibicinae, ceterisque in pueris Asiaticis atque delicatis, conferenda sunt, quae leguntur apud Strabonem Geogr. II. 3. pag. 157. Tauchn., apud Statium Sylv. V. 5, 66. Plaut. Stich. II. 2, 55. Liv. XXXIX. 44. Cic. Phil. II. 18., inprimis, quae de pocillatoribus adnotavit Heinrichius ad Juvenalem Satir. V. 56. XI. 146.

III.

DE LIBRI II. CARMINE 6.

Plane ego Carolo Frankio[1]) assentior, hoc carmen scribi non potuisse nisi bello interum in Cantabros facto. Qui quum a. u. 729. ab Augusto victi essent, paulo post sive a. u. c. 29. exeunte sive a. u. 30. ineunte rebellarunt, [2]) unde hoc carmine v. 2. Cantaber indoctus jugo ferre nostra dicitur. Qua re veri simile est, hoc ipso tempore id carmen scriptum esse, ut neque Kirchneri sententia mihi probetur ad annum u. c. 718. referentis, neque Vanderburgii, scriptum esse ante quam Horatius Sabino donatus sit. Nec in his verbis recordationem belli Philippensis inesse video, nec, si inesset, ejus rei memoria obliterata fuisset, quo tempore hoc carmen mihi scriptum videtur. Sed a vetere tamen illo commilitio Horatio cum Septimio, qui etiam Cæsari Augusto familiarissimus[3]) esset, amicitiam intimam intercessisse apparet.

Quibus rebus adductus fuerit poeta, ut scriberet hoc carmen, neque ex carmine ipso nec aliunde agumenta nobis certa petere licet. Sed omnis tamen carminis tenor atque moderatio animum quidem amoris in Septimium tenerrimi plenum, sed dolentem prodit rebusque praesentibus parum contentum nec sibi constantem. Quam animi affectionem, quae e corpore male affecto extiterat, poeta ipse accurate descripsit primum Epistola libri I. septima v. 44.

mihi jam non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet aut imbelle Tarentum;

tum melius etiam ejusdem libri epistola 8. versu 11.

Quae nocuere sequar, fugiam quae profore credam,
Romae Tibur amem ventosus, Tibure Romam.

---

[1]) Fast. Hor. pag. 176. [2]) Dio Cass. LI. 20. coll. Ern. Guil. Webero de Q. Hor. Flacco p. 253. [3]) Cf. Richterus ad Suetonii Vitam Hor. pag. 38.

Atque ejusdem epistolae versibus 3—10. ad Celsum Albinovanum scriptae Musam rogat Celso dicat:

Si quaeret quid agam, dic, multa et pulchra minantem
Vivere nec recte nec suaviter; haud quia grando
Contuderit vites oleamque momorderit aestus,
Nec quia longinquis armentum aegrotet in agris;
Sed quia mente minus validus quam corpore toto
Nil audire velim, nil discere, quod levet aegrum;
Fidis offendar medicis, irascar amicis.

Hic tristis animi corporisque habitus quo levaretur, Septimius Horatio comes futurus suasisse videtur, ut itinere aliquo suscepto longiore animum morositate atque fastidiis liberaret corpusque male affectum roboraret.

Sunt qui Septimium Horatio auctorem fuisse credant de Cæsare Augusto in bellum Cantabricum comitando. Et recte quidem.[1]) Sed qui fieri poterat, ut homo imbellis ac firmus parum[2]) expeditioni bellicae interesset, qui voluisse contentus ne cum Mæcenate quidem bello Actiaco interfuit? Itaque Horatius hoc loco Gades, Cantabrum rebellem, barbaras Syrtes nominando nihil facit nisi animum amici ad loca remotissima et periculosissima secum ire parati gratus agnoscat. Sed omne iter longius facturum se negat, quum aegrotanti sibi et senescenti mite solum Tiburis et vacui[3]) aut imbelle Tarentum placeat, et fatigato atque imbecillo modus imponendus sit itinerum et maritimorum et pedestrium militiaeque.

Guil. Ernestus Weberus egregie errare mihi videtur, qui[4]) hujus carminis originem ad ad annum u. c. 717. referendum censeat, cui æque atque Kirchnero paulo post quam ex Græcia Romam redierit scriptum esse videtur, quum desiderium in his oppidis sedem figendi seni futuro existere non potuerit, si villa Sabina jam tum donatus fuerit.

Primum viros doctos illos fugisse videtur, Sabinam Horatii villam fuisse rusticam, in qua fixam continuamque sedem non habuerit nisi villicus.[5]) Horatius Romæ vivebat, incertum, utrum sua an domo conducticia usus. Quod versus demonstrant quos supra descripsi. Sed rus tamen secedere amabat, quoties anni tempora et ætate validum invitabant[6]) et per negotia urbana licebat, nunquam tamen neque diu nec sæpe ibidem degebat, imprimis quum cœlum frigidius ægrotanti incommodum esse cœpisset et liberalium ibidem hominum consuetudine careret. Fundus vero rusticus et res pacuaria, quæ exercebatur, reditus illi idoneos præbebant, qui-

---

[1]) Cf. infra v. 8. [2]) Epod. I. 16. [3]) Od. I. 18, 2. I. Epp. 7, 44. [4]) in libro qui est de Q. Horatio Flacco pag. 140. [5]) Epp. I. 14. [6]) Od. III. 4, 25. Vester, Camenæ, vester in arduos Tollor Sabinos, seu mihi frigidum Praeneste, seu Tibur supinum, Seu liquidae placuere Baiae.

bus sumptus vitæ urbanæ toleraret. Quum fumum strepitumque urbis fastidiret, non raro Tibure habitasse videtur, in oppido villæ suae propinquo, ab urbe XX millia passuum quod abest, cujus oblectamenta naturæ carmine depingit, quod scriptum fertur anno u. c. 720. vel 721.[1]):

Me nec tam patiens Lacedæmon
Nec tam Larissæ percussit campus opimae
Quam domus Albuneae resonantis
Et praeceps Anio et Tiburni lucus et uda
Mobilibus pomaria rivis.

Quum senesceret et ingravescenti valetudine etiam aeger animo esse cœpisset, vitae pertaesus urbanae, sedem aliquando domiciliumque Tibure collocare se velle dicit, ut animum relaxet et det naturae se jucunditatibus in oppido vacuo, hoc est, a frequentia hominum turbisque remoto, aut si Parcae iniquae prohibuerint, inbelli Tarento, quod vita otiosa abundet: quorum mite solum corpori animoque aegrotanti faveat. Itaque amico excusans se itinera longa deprecatur dicens:

Tibur Argeo positum colono
Sit meae sedes utinam senectae, [2])
Sit modus lasso maris et viarum
Militiaeque.
Unde si Parcae prohibent iniquae,
Dulce pellitis ovibus Galaesi
Flumen et regnata petam Laconi
Rura Phalanto. [3])

Sed origines amœnitatesque Tiburtinae, quibus praeter cetera delectabatur Horatius, varie ab aliis quoque poetis describuntur.

Virgilius [4]) agmina Turni recensens haec scribit:

Tum gemini fratres Tiburtia moenia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque acerque Coras, Argiva juventus.

Apud Propertium II. 23, 44.

Quid Aeaei mœnia Telegoni?
Curve te in Herculeum [5]) deportant esseda Tibur?

---

[1]) Od. I. 7, 10. seqq. [2]) Similem sibi exoptat requiem portumque senectæ Altini littora et felicem Aquilejam Timavo Martialis IV. 25. [3]) Sic Pacuvium grandævum recessisse Tarentum dicit Gellius N. A. XIII. 2. et Romanos causarum patronos litibus dijudicatis Horatius Od. III. 5, 56. [4]) Aen. VII. 670. et ibid. v. 630. Atina potens Tiburque superbum. [5]) De quo vide infra verba Strabonis.

Idem habet III. 14. 2.

Tibure —
Candida qua geminas ostendunt culmina turres
Et cadit in patulos Nympha Aniena lacus.

Ibidem IV. 7, 86.

Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis.

Ovidius [1]) Anienem describens, qui Iliam exceperit:

Nec te prætereo, qui per cava saxa volutans
Tiburis Argei spumifer arva rigas.

Idem [2]) habet:

jam moenia Tiburis udi
Stabant, Argolicae quod posuere manus.

Martialis [3])

Tu colis Argei regnum, Faustine, coloni,
Quo te bis decimus ducit ab urbe lapis.

Apud eundem [4]) legitur:

Sic Tiburtinae crescat tibi silva Dianae
Et properet cæsum sæpe redire nemus.

Quod ad oppidi origines attinet, Solinus Polyh. c. 2. duplicem de hac re famam extitisse refert, alteram, cujus auctor Cato sit, a Catillo Arcade, præfecto classis Euandri, oppidum conditum esse, alteram, ut Sextius tradiderit, ab Argiva juventute. Catillum enim, Amphiarai filium, post prodigialem patris ad Thebas interitum jussu Oeclei avi cum omni fetu ver sacrum missum tres liberos in Italia procreasse, Tiburtum, Coram, Catillum, qui depulsis ex oppido incolis veteribus Sicanis a nomine Tiburti fratris natu maximi urbem vocaverint.

Ex locis veterum poetarum supra adscriptis intelligitur, Virgilium, Horatium, Ovidium, Martialem ab Argivis colonis Tibur conditum dicere, atque famam rerum a Sextio traditam sequi, ita tamen, ut Catillus, quem Cato Arcadem Euandrique socium fuisse dixerit, cum Tiburto Coraque fratribus inter Argivos referatur. Quæ fabulæ vetussissimæ quamquam historia rerum comprobari non possunt, tempora tamen partim vel Troicis antiquiora fuisse significant, ex quibus non modo maris Adriatici ora maritima, sed interior etiam Italia, quam Siculi tum incolebant, exactis his Siculis a novis incolis e Græcia profectis occuparetur: cujus rei memoria verbis ad posteros tradita a Catone, Varrone, aliis maximam partem sine ulla subtilitate critica literis mandata est. Campus is tum erat, in quo poetarum mens vegeta, industria Græculorum vanis nobilibus blandientium excurrebat.

---

[1]) Amor. III. 6, 45. [2]) Fast. IV. 71. [3]) Epigr. IV. 57, 3. [4]) Epigr. VII. 28, 1.

Egregiam loci naturam ceteraque commoda, quibus insignis est illa, paucis quidem verbis Strabo, [1]) sed idoneis tamen descripsit ad illos poetarum locos, quos supra laudavi, dilucidandos. Licet apponere hæc: Τίβουρα μὲν, ᾗ τὸ Ἡράκλειον καὶ ὁ καταράκτης, ὃν ποιεῖ πλωτὸς ὁ Ἀνίων, ἀφ᾽ ὕψους μεγάλου καταπίπτων εἰς φάραγγα βαθεῖαν, καὶ κατάλση πρὸς αὐτῇ τῇ πόλει. Ἐντεῦθεν δὲ διέξεισιν εὐκαρπότατον, περὶ τὰ μέταλλα τοῦ λίθου τοῦ Τιβουτίνου, καὶ τοῦ ἐν Γαβίοις καὶ τοῦ ἐρυθροῦ λεγομένου· ὥστε τὴν ἐκ τῶν μετάλλων ἐξαγωγὴν καὶ τὴν πορθμείαν εὐμαρῆ τελέως εἶναι, τῶν πλείστων ἔργων τῆς Ῥώμης ἐντεῦθεν κατασκευαζομένων. Ἐν δὲ τῷ πεδίῳ τούτῳ ὁ Ἀνίων διέξεισι, καὶ τὰ Ἄλβουλα καλούμενα ῥεῖ ὕδατα ψυχρὰ ἐκ πολλῶν πηγῶν, πρὸς ποικίλας νόσους, καὶ πίνουσι καὶ ἐγκαθημένοις ὑγιεινά.

De forma denique græca nominis adjectivi Argei — coloni, conferens Lesboum barbiton [2]) cum ea et Daedaleum Icarum [3]) Dillenburgerus observat, hanc formam sæpius in lyricis obviam esse. Recte. Sed non solum lyrica carmina nominum formas græcorum verborumque collocationam Græcis usitatam imitari videmus, sed prosæ etiam orationis scriptores, qui ex ipsis Græcis translata referunt, iisdem formis verborumque structuris utuntur, ut apud Ciceronem in philosophicis est Acad. II. 6. Stratoniceus Metrodorus, II. 30. Chrysippea, II. 38. Lampsacenus Strato, II. 39. Nicetas Syracusius, II. 42. Euclides Megareus, Menedemus Eretrieus, II. 43. Polemoneus Stoicus, II. 22. Dionysius Heracleotes, de Finib. III. 3. Aristotelius, de Divin. II. 42. Halicarnasseus, de Nat. Deor. I. 26. Democriteo — Democritea.

Restat ut de flumine Galaeso et de Tarento pauca dicamus.

Galaesus quinque millia passuum a Tarento remotus [4]) arva Tarentina humectans in mare deferri dicitur. [5])

Quem Virgilius l. c. nigrum appellat, apud Propertium [6]) umbrosus est pinetisque consitus. Juga montium ab ovibus depascebantur, inferiora convallium colendis vitibus aut frumento destinata erant. Hinc Statius [7]) dicit:

Lacedamonii pecuaria culta Galaesi;

et altero loco apud eundem:

Blanda Therapnaei placeant vineta Galaesi.

In qua regione oves illæ generosæ alebantur pellibus vestitæ, quales in citeriore Gallia Strabo [8]) ὑποδιφθέρας ποίμνας dicit fuisse, et Martialis [9]) scribit:

Te Lacedaemonio velat toga lota Galaeso
Vel quam seposito de grege Parma dedit.

---

[1]) Geogr. V. 3. p. 386. [2]) Od. I. 1, 34. [3]) Od. II. 20, 13. [4]) Livius XXV. 11, 8. [5]) Virg. Georg. IV. 125. Claudianus de Probo et Olybr. 260. [6]) II. 25, 67. [7]) Sylv. III. 3, 93. II. 2, 111. [8]) Geogr. IV. 4. p. 317. Tauchn. [9]) II. 43, 3. IV. 28, 3.

Qui apud Horatium l. l. v. 18. amicus Aulon Fertili Baccho dicitur, apud Martialem [1]) est:

Nobilis et lanis et felix vitibus Aulon.

Unde mihi probabile est, montem Aulonem, a nullo usquam geographo memoratum, proxime Galaesum quaerendum esse, et blanda Therapnaei vineta Galaesi in hoc ipso monte ejusque lateribus, quae ad flumen descendant. Quumque apud Virgilium loco supra citato Galaesus flaventia culta humectare dicatur, triplici hoc flumen Tarentinis commodo fuisse apparet, quod arva frumentis consita rigaret, latera montis declivia vitibus oleisve vestita essent, summus denique mons atque loca sylvestria oves ceteraque pecora pascerent.

De Phalanto, fabuloso coloniae Tarentinae conditore, legisse juvat quae tradidit Justinus lib. III. cap. 4. et Wernsdorfius ad Prisciani Perieg. 369. Et terrarum ille angulus, quem ab Horatio suavissime descriptum videmus, conferendus est cum iis, quae leguntur apud Ciceronem or. Cat. II. 4, 8. apud Livium XXVIII. 12, 6. XXIX. 5, 9., ubi Etruria superior angulus totius Italiae, Bruttius angulus, Alpium angulus extremi terrarum fines recessusque appellantur, quo se hostes recipiunt atque tutantur. Quae vero Propertius scripsit Eleg. IV. 9, 65.

Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
Accipit: haec fesso vix mihi terra patet. —

haec de Hercule narrantur cum bovibus ex Hiberis reduce, qui fessus ad montem Palatinum a laboribus requiescere volebat, ut Horatius vitae pertaesus urbanae senex Tarenti. In verbis denique

Angulus ridet, ubi non Hymetto —

Dillenburgero auctore Axtius metri causa scribendum putavit ridens, omisso verbo auxiliari est. Qua conjectura facile caremus in caesura, ubi ultima praecedens syllaba producitur, ut est apud Horatium III. 16, 26.

Quam si quidquid arat impiger Apulus —

ubi legenda quae adnotavit Orellius; exempla collegit Zumptius Gr. lat. §. 828.

---

[1]) Epigr. XIII. 125.

IV.

DE CARMINE 14. LIBRI III.

1. Bello finito Cantabrico, quod partim ipse gesserat, partim valetudine impeditus et Tarracone moratus C. Antistio administrandum tradiderat, Caesarem Augustum probabile est parta victoria anno u. c. 730. Romam rediturum fuisse. [1] Quem quum olim revertentem ex provincia non solum faustis ominibus, sed modulatis etiam carminibus prosquerentur, [2] de hoc reditu tum certior factus Horatius et ipse hac re vehementer laetatus et quae animo ceteri sentiebant verbis expressurus hoc carmen edidit cum amoris plenum in Augustum tum animi erga deos gratissimi, qui diu absentem et tanquam alterum Herculem multis functum laboribus ultima ex Hiberia victorem urbi civibusque reddituri essent.

2. Haec primae sunt strophae. Quam quae sequitur altera stropha, ea uxorem Liviam et Octaviam sororem sacrificiis rite peractis produturas fingit duces chori matronarum Romanarum, quibus adjungitur chorus puerorum et puellarum. Ita Romam introeunti Caesari obviam ituri divinosque honores oblaturi erant, quales erant quos faciebant Romani, quo tempore ex Aegypto anno u. c. 724. Romam ille rediturus erat. [3] De ceteris honoribus Octaviano Caesari et ante reditum et postea a senatu populoque Romano oblatis Cassius Dio tradit libro LIII. cap. 28. Similis est laetitia, qua C. Caesar pacata Gallia ab omnibus municipiis et coloniis incredibili honore atque amore et ab omni multitudine cum liberis procedente redux exceptus est. [4] Quod idem contigit Ciceroni post exilium in patriam restituto. [5] Et idem ut Augusto faciat ex Sugambris redituro Horatius Julo Antonio suadet. [6]

3. Sed mirum est, quantopere cum in re tota tum in explicandis singulis interpretes erraverint. Quorum tamen pleraque nomina reticere et pietatis mihi et probi moris esse videtur. Primum in verbis

„Unico gaudens mulier marito
Prodeat justis operata divis,"

unicus maritus non est, cui uni fidelis et casta fuerit Livia, sed quo viro singulari et egregio [7] gaudens obviam itura videbatur. Prodire est gr. *ἀπαντῆσαι* [8] in re

---

[1] Cf. Guil. Ernestus Weber de Q. Horatio Flacco pag. 252. not. 195. [2] Suetonius Octav. 57. [3] Dio Cass. 51, 19. [4] Hirtius B. G. VIII. 51. [5] Cicero Epp. ad Att. IV. 1. or. in Pison. 22. [6] Od. IV. 2, 33—52. [7] Livius I. 39, 5. V. 49, 8. VI. 22, 9. VII. 1, 9. XXIV. 34, 2. vel ut Cato Cic. Brut. c. 85. summus et singularis vir. Quam rem Horatius ipsa optime explicat Epp. II. 1, 15 sqq. [8] Dio Cass. 51, 19. 54, 10.

solemni et idem h. l. quod obviam prodire, obviam procedere[1]) et ad eam quidem portam urbis, ubi adventantem excepturi erant.[2]) Et obviam ei proditura videbatur Livia cum Octavia, quum domi rem sacram fecisset justis diis, quos cum Lambino intelligo patrios esse et lege receptos et diversos a diis peregrinis et superstitionibus, ut sacra Isiaca erant, a matronis Romanis tum coli coepta.[3]) Lectionem vulgatam alteri, quae est justis sacris, praeferendam duco, quum personae divinae hoc loco magis accommodata videatur, ut est apud Tibullum II. 5, 95. „Tunc operata deo pubes discumbet in herba,“ II. 1, 9. „Omnia sint operata deo.“ [4]) In ceteris Bentlejus ingeniose ludit. Et chorus quidem matronarum instar sacerdotum vittis ornatus, cui Livia et Octavia praesunt, publice incedere jubetur diis patriis pro servato Caesare supplicaturus amotisque periculis grates acturus.[5]) Nec dubium est, quin in verbis

„Virginum matres juvenumque nuper
Sospitum“ —

virgines mulieres recens nuptae eorum sint juvenum, qui modo sospites e bello in patriam redierunt. Quorum matres conjunctæ cum matribus virginum comparent rem sacram facturæ. Ita Pasiphae apud Virgilium[6]) virgo appellatur. Et similis est Græcorum παρθένος. Populum autem eadem agitatum iri lætitia videmus, qua tum, quum Octavianus Augustus ex Aegypto victor redierat, ut est apud Virgilium[7])

„Lætitia ludisque viæ plausuque fremebant;
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus arae;
Ante aras terram cæsi stravere juvenci.“

Quæ sequuntur,

---

[1]) Cicero Epp. ad Att. II. 1. Suetonius Calig. 4. Hirtius B. G. VIII. 51. [2]) Guhlius et Konerus in libro qui est de vita Græcorum et Rom. II. pag. 116. Et simile est, quod scripsit Horatius Od. IV. 2, 49:

Tuque dum procedis, Jo Triumphe,
Non semel dicemus, Jo Triumphe,
Civitas omnis dabimusque divis
Tura benignis.

Ita auctoritate plurimorum codicum scribendum est. Dum se excusat ducem civium obviam Cæsari euntium, Julum adhortatur Antonium ut ipse procedat. Sed poetam se levem et tantæ rei minime parem tanquam secundas partes agendo cum ceteris tamen dicit acclamaturum

Jo Triumphe! jo Triumphe!

Et Triumphus hoc loco humana induitur specie, ut apud Ovidium Am. II. 12, 16:

Huc ades, o! cura parte Triumphe mea.

[3]) Ovidius Am. II. 13, 7. Dio Cass. 53, 2. 54, 6. [4]) Cf. Livius IV. 60, 2. [5]) Cf. Livius V. 23, 3. Ovid. Trist. IV. 2, 11 sqq. [6]) Eclog. VI. 47. [7]) Aen. VIII. 717.

„Vos, o pueri et puellae
Jam virum expertae, male ominatis
Parcite verbis."

in his admodum variatur sententiis interpretum. Plerique pueros juvenibus e bello reducibus opponunt et omnes ætate minores imbellesque significari putant, puellasque jam virum expertas nuper virgines nuptas dici, militum nuper sospitum uxores, quum v. 9. virginum nomine virgines nubiles intelligantur vel desponsatae [1]) iis, qui modo sospites redituri sint. Sed quamquam puellae haud raro ita latine dicuntur, ut Terentia Maecenatis apud Horatium, [2]) et virum pro marito dici usitatum est, nullo tamen modo mihi ferri posse videtur, puellas virum expertas hic recens nuptas dici, idque dicendi genus a viro quodam docto ad naturalem veteris poeseos indolem referri, quasi poeta εἴρων Græcorum illud ἀνδρωθεῖσα ob oculos habuerit. Quod quantum a re gravi et solemni et publice instituenda abhorreat, facile patet. Sed apparet etiam, commune hoc loco prædicatum desiderari, quod ad pueros non minus quam ad puellas referatur. Cujus rei difficultatem qui senserant rem conjecturis expedire voluerunt. Itaque quum Torrentius recte judicasset, cum pueris hic innuptas puellas conjungendas esse, legendum censuit:

„Vos o pueri, et puellae et
Jam virum expertae"

posterius ad virginum matres referens. Qua conjectura repudiata Bentlejus omne sibi punctum tulisse visus est scribendo

„Vos o pueri et puellae Non virum expertae.

Qua usus conjectura magis se premere vestigia Horatii opinabatur Cuninghamus conjectans Jam virûm expertes. Sed hoc scribendi genus temporum hominumque rationibus non minus hoc loco repugnat.

Ut supra diximus, de re sacra facienda hic loquitur Horatius. Postquam prima hujus carminis stropha Cæsarem, ut olim Herculem, ex Hispania victorem dixit reverti, secunda et tertia cum privatim tum publice rem divinam fieri jubet, diisque grates acturum et chorum pompamque solemnem matronarum ducibus Livia atque Octavia et puerorum innuptarumque puellarum hortatur, ut obviam procedant victori. [3]) Itaque poeta noster jam Cæsarem Augustum pompa non minus solemni excipiendum curat quam nuper factum erat, quum victor ex Aegypto rediret. Verba

---

[1]) Cf. Koehler, Jahnii Annal. Suppl. VIII. p. 553. [2]) Epod. III. 21. Od. III. 22, 2. Nam sine ullo discrimine, utrum maritæ nec ne sint, mulieres florentis ætatis puellae appellantur. Cf. Horatius Od. IV. 11, 22. Ovid. Her. I. 115. XVII. 39. 41. 94. ut apud Martialem XII. 97, 1. vel uxor puella dicatur. [3]) Cf. Virgil. Georg. III. 21. sq. Appianus B. C. V. 130. Vellejus II. 89. Ammianus XXI. 10. 1.

igitur Jam virum expertae, ubi zeugmate admisso expertae ad pueros quoque pertinent, ad Cæsarem Augustum referuntur. Est vir enim, ut alibi sæpe,[1] omni virtute cumulatus homo, cui dii semper favent, qui morte venalem petiit laurum, qui ex quo cognomine Augusti appellatur, σεβαστὸς habetur et omni pietate colendus. Quem talem quum expertae essent puellae atque pueri et rem sacram facturi et qui obviam procedant eidem, male ominatis parcere verbis jubentur, quasi deo præsente.[2] Experiri et expertum esse ea hoc loco significatione est, qua Od. IV. 4, 3. „Cui rex deorum regnum in aves vagas Permisit expertus fidelem Juppiter in Ganymede flavo," apud Sallustium Jug. 108, 2. „quem Bocchus fidum esse Romanis multis ante tempestatibus expertus illico ad Sullam — misit." Est Justini XIII. 1, 6. de mortuo Alexandro et matris Darii dolore: „quod pietatem filii in eo, quem ut hostem timuerat, experta esset." Est Claudiani de VI. consul. Honorii 435, „nec sanguine solo, sed claris potius factis experta parentem." In quibus virum aut fidelem aut pium expertus is est, cujus virtus, fides, pietas usu cuipiam et experientia probata est.

Denique de hiatu, qui in verbis inest male ominatis Parcite verbis, praeter ea, quae ad hunc locum Dillenburgerus collegit, comparentur quae habet Virgilius Aen. IV. 235. ibique Ladewig. V. 262. et XI. 31. 480. XII. 31. Ecl. III. 79. Ovidius Fast. II. 43. A. A. II. 185. Statius Sylv. V. 1, 176. Quibuscum conferre licet quae disputavit Zumptius Gram. lat. cap. I. §. 9. Quibus inter se comparatis facile nobis conjectura nominatis vel inominatis supersedere licebit.

V.

DE CARMINE 16. LIBRI III.

In hoc carmine Horatius divitiarum vim atque potestatem maximam quidem esse dicit, idque exemplis cum rerum mythicarum tum Philippi Macedonis, nuper etiam Menedori[3] probat. Sed quum divitias vel maximas neque securitas nec animi tranquillitas nec constantia, sed fames rerum majorum sequatur, jure se horrere divitias dicit, re mediocri sua sed certa contentus, quam habeat, ab importuna pauperie remotam, quantum ab abundanti copia divitum. Nec si plura velit Maecenatem dare sibi denegaturum esse.

---

[1]) Hor. Od. I. 12, 1. III. 3, 1. IV. 8, 28. Virgil. Aen. I. 1. VI. 791. de divo Julio Ovidius Met. XV. 657. sqq. [2]) Cf. Horat. Epp. II. 1, 134. Ovidius Met. XV. 677. Particula Jam commate post expertae sublato referen'a est ad v. Parcite verbis. [3]) Cf. Appianus de bello civ. V. 78. seqq.

In quo carmine plura insunt, quae sibi displicere Peerlkampus dicit. Qui vir doctus pro ingenii elegantia, quam sibi innatam maximam putat, primum verba Concidit auguris Argivi domus ob lucrum Demersa exitio: diffidit urbium Portas vir Macedo, et subruit aemulos Reges muneribus — tum illa, quæ paullo post leguntur, Jure perhorrui Late conspicuum tollere verticem, Maecenas, equitum decus. Quanto quisque sibi plura negaverit, Ab dîs plura feret — aut glossis deberi aut aliunde illata atque consarcinata existimat, neque in rebus nec quod ad usum verborumque compositionem attineat Horatio digna judicat esse.

Sed otium mihi deest ad ea refellenda, quæ justa refutatione non indigent, nec in rebus versari me juvat, quæ a communi mente atque ratione remotæ non intelliguntur, sed quas qui se percipere posse putant, animo intuentur et sensibus, et suis se opinionibus quamvis falsis duci patiuntur. Itaque ad ea nos progrediamur, quæ certis in rebus versantur, in quibus qui lapsi sunt interpretes, non rebus commenticiis, sed factis convincuntur. Ad finem autem hujus carminis hæc sunt, in quibus offenditur Peerlkampus: in quibus alia corrupta esse opinatur, alia plane falsa et aliunde intrusa:

Nec si plura velim, tu dare deneges.
Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam,
Quam si Mygdoniis regnum Alyattei
Campis continuem.

Quibus in verbis Peerlkampus V. D. secutus eam rationem, qua ipse hoc carmen constituerit, legendum esse dicit: Nec mî plura velim: cetera ex Epod. carmine 1. efficta esse: Satis superque me benignitas tua Ditavit. Itaque reliqua omnia, quæ spuria habet, ex hoc carmine ejicienda putat esse his de causis.

Primum verba Contracto melius parva cupidine Vectigalia porrigam prosam orationem esse dicit: quo quis plura possideat, hoc plus tributi in ærarium conferre debere. Ita certe hunc locum intelligendum esse, ut intellexerit etiam Comm. Cruquii: „Paucorum possessor minora tributa persolvam.“ Deinde Vir Doctus nescire se dicit, unde constet vivo Augusto civibus Romanis tributa pro censu fuisse imposita. Et recte quidem id se nescire dicit Peerlkampus, quod aliis quoque ignotum est. Sed unde Peerlkampo constat Horatium de prædiis loqui agroque Sabino, et vectigalia eadem esse atque tributa? In eo tamen assentior Peerlkampo, quod neget recte fecisse recentiores interpretes, qui Horatium hæc sensisse dicant: Quod ipse contrahat cupidinem, eo fieri possessiones suas ampliores, vel ipso extenso agello Sabino vel aliis emptis. Quæ Orellii, aliorum est opinio. Quod primum recte negat Peerlkampus verba vectigalia porrigere significare

posse, deinde sententiæ loci contrarium esse arbitratur. Qui satis se habere professus fuerit, ejus non esse rem suam parsimonia augere velle. Id facere dicit avaros, qui quæsitis parcant et abstineant, ut acervo semper aliquid addant. Sed Peerlkampus a vero plane aberrat existimans, in verbis Quam si Mygdoniis regnum Alyattei cet. nihil inesse nisi ingratam repetitionem ejusdem rei: Contemtae dominus splendideor rei, Quam si quidquid arat impiger Apulus, Occultare meis dicerer horreis. Quæ res plane ab illis abhorret.

Multum enim interest inter latifundiorum dominos, quæ sunt Italiæ, [1]) imprimis Apuliæ, et inter latifundiorum possessores, qui agros vectigales provinciarum tenent: qui jure belli olim publici populi Romani facti erant, sed incolis redditi vel publicanis vel decumanis locati vectigalia pendunt. [2]) Altera illa praedia erant, quibus vectigalia imposita nulla, quae libera atque immunia erant. [3]) Quanta haec latifundia Apula fuerint, declarat Domitius, qui auctore Caesare [4]) Pompejanis „militibus in concione agros ex suis possessionibus pollicetur, quaterna in singulos jugera et pro rata parte centurionibus evocatisque.“ Quos agros olim Sulla dominante Domitium sibi perasse tradit Cassius Dio lib. XLI. cap. 11. Atque haec latifundia agrique continui partim coemti [5]) erant, partim vi calumniaque [6]) parati. Agros vero vectigales in provinciis non solum privati, hoc est, cives Romani possidebant, [7]) sed civitates etiam, ut Atellani [8]) et Arpinates [9]) in Cisalpina Gallia habebant. Quorum municipum commoda omnia omnesque facultates, quibus et sacra conficere et sarta tecta aedium sacrarum locorumque communium tueri possent, his in agris vectigalibus constitisse dicit Cicero. Hi agri colonis locati mercedes praebebant, quibus onera illa publica sustinerentur.

Quorum agrorum victigalium Cicero [10]) hanc omnino rationem dicit esse, quod ceteris aut certum impositum vectigal sit, quod stipendiarium dicatur, ut Hispanis et plerisque Poenorum, quasi victoriae praemium ac poena belli, aut censoriam locationem constitutam esse, ut Asiae lege Sempronia. Siciliae civitates sic in amicitiam fidemque Romanorum receptas esse, ut eodem jure essent, quo fuissent, eadem condicione populo Romano parerent, qua suis antea paruissent. Perpaucas Siciliae civitates bello a Romanis subactas esse: quarum ager quum esset publicus populi Romani factus, tamen Siculis redditum esse: qui ager vectigali novo imposito nullo decumanus factus a censoribus locari, decumae lege Hieronica vendi soleant.

---

[1]) Vid. Cic. Or. in Cat. II. 8. ubi possessiones agri sunt amplissimi atque prædia. [2]) Cf. Sallust. Jug. 31, 9. [3]) Cf. Heinr. ad Juvenal. IX. 54. IV. 26. [4]) de Bello Civ. I. 17. [5]) Horat. Od. II. 3, 17. [6]) Hor. Od. II. 18, 23—28. Sat. II. 2, 130. Juvenal. XIV. 140 seq. Appian. B. C. I. 7. [7]) Cic. Fam. XIII. 72. [8]) Cic. Epp. Fam. XIII. 7. [9]) Cic. Fam. XIII. 11. [10]) Verr. III. 6.

Qui agri vectigales provinciarum a civibus Romanis latifundiorumque amatoribus coemti, ut Asiatici, Hispani Poenorumque sunt apud Horatium,[1] ut erant jure belli publici populi Romani facti, decumanis locati vectigalia pendebant. Quae vectigalia, postquam cives Romani tributo liberati sunt, pacis bellique subsidia reipublicae[2] erant, quibus opes imperii nitebantur. Quae vectigalia quum certa mercede decumani conduxissent, hanc vel in aerarium publicum conferebant vel in provinciis paratam habebant, ut liberum de ea re senatui arbitrium esset.

Diversa igitur condicio agri cum Apuli tum omnis Italiae latifundiorumque erat. Qui agri Italiae quum liberi atque immunes essent, reipublicae romanae vectigalia nulla pensitabant, sed a dominis aut singuli singulis colonis locabantur aut a servis aratoribus exercebantur. Itaque Horatius dicens

Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam,
Quam si Mygdoniis regnum Alyattei
Campis continuem —

neque de agro vectigali Italiae loquitur, qui quidem nullus tum erat, neque de reditibus vel praedii fructibus sui extendendis aut parsimonia augendis, sed, ut verborum rerumque contextus demonstrat, de agro vectigali Asiatico loquens, oratione usus hypothetica haec dicere pergit: Quin ego ipse, si latifundiorum possessor essem, cupiditatem agros vel emendi vel possidendi sapienter coercens et paucioribus contentus parva vectigalia decumanis pendere mallem, quam si insatiabili cupiditate actus cum Mygdoniis campis regnum Alyattei continuis possessionibus jungerem. Quibuscum aptissime componuntur, quae leguntur Od. II. 2, 10.

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus jungas et uterque Poenus
Serviat uni.

Quae qui latifundia agrosque provinciales possident, decumanis vectigalia pendentes porrigere hoc loco vectigalia dicuntur. Quo majora igitur latifundia, eo majora vectigalia erant, quae decumanis, hoc est, victori populo Romano debebantur: ut vectigalia magna pensitare idem plane sit atque agros vectigales amplissimos tenere. Simile est quod Carolus Graulius tradit in descriptione itineris in Indiam Orientalem nuper facti tom. IV. pag. 44. qui Ramam Pillejum tantum agri stipendiarii possidere dicit, ut reipublicae Indicae quotannis tria millia rupiorum tributi pendat.

---

[1]) Od. III. 16, 41. II. 12, 22. 2, 10. I. 1, 10. Corn. Nep. in Vita Attici XIII. 4. Ovid. Epp. ex Ponto IV. 15, 9. [2]) Cic. de lege Man. 6.